



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Aqua.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

aëre corrupto ac rubigine, donec pereas. Deut.  
28. Aër corruptus sýmbolum est malæ societatis. Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum pa-  
rens, & deinceps exterminabitur. Ep. Jac. 4.

## Aqua.

**S**píritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. Juxta communem id non de vento, sed Spi-  
ritu S. intelligitur; qui juxta textum Hebrai-  
cum instar volucris ova excludentis incubabat  
aquis, non motu locali, sed voluntate suâ ac  
potentiâ Divinâ, quâ illas fœcundabat, calo-  
rem quasi vitalem aspirans, vim seminalem ac  
prolificam indens, & aptas procreationi red-  
dens; ut inde mox, obſtretricante eodem Spi-  
ritu, & pisces, & germina, & aves, quin & cæli  
producerentur. Nam, ut sequitur v. 7. fecit  
Deus firmamentum, seu orbes omnes cælestes in  
medio aquarum, h. c. ex vasta illa abyſſo, & mole  
aquarum, quibus totum spatium à terra usque  
ad cælum empyreum complebatur. Hinc aqua  
benè dicitur, à qua omnia. Viderunt te aquæ  
Deus [ maris rubri ] viderunt te aquæ, & ti-  
muerunt, & turbata sunt abyssi. Ps. 76. Tri-  
buitur hic mōre Poëtico rebus inanimis sensus,  
& ostenditur, quomodo aquæ in mari rubro  
prætentia & potentia Dei perterrefactæ præter  
morem refugerint relictâ transituris Israëlitis  
viâ, & ipsæ maris abyssi ab utraque parte instar  
muri constiterint. Quid tibi vis in via Ægypti?  
( religiosè declinans ad illecebras mundi ) ne

36      *Pars secunda de elevatione  
bibas aquam turbidam.* Jerem. 2. *Omnis, qui bi-  
bit ex aqua hac (omnibus terrenis deliciis) sicut  
iterum.* *Qui autem biberit ex aqua, quam ego  
dabo ei, non sicut in aeternum.* Matth. 4. *Omnis  
morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua  
non revertuntur.* 2. Reg. 14. *Transivimus per ig-  
nem & aquam, eduxisti nos in refrigerium.* Ps.  
65. *Per varias tribulationes tentatos eduxisti nos  
in irriguam, ut habet textus Hebreus, id est,  
terram bonis affluentem.* In sensu ergo literali  
intellige terram prmissionis; mystico celum.  
*Continuo exivit sanguis & aqua.* Matth. 19. Sci-  
licet ex latere Salvatoris; qui ultimam sanguis-  
nis, & residui in corpore humoris guttam pro-  
te effudit. *Sicut factum est in diebus Noe, ita*  
*erit & in diebus filii hominis, edebant & bibebant  
& venit diluvium, & perdidit omnes.* Luc. 17.  
*Non poterant bibere aquas, eo quod essent amarae.*  
*Cum autem lignum a Deo ostensum misisset*  
[Moyses] *in aquas, in dulcedinem versae sunt.*  
Exod. 15. *Allegorice per id demonstratur virtus*  
*Crucis Christi oninia amara reddens dulcia.*

*Terra,*

**B**enedixisti Domine terram tuam, avertisti  
captivitatem Jacob. Ps. 84. In novissimo  
die de terra surrecturus sum, & rursum circum-  
dabor pelle mea. Job. 19. Liquefacta est terra  
(in die judicii) & omnes, qui habitant in ea. Ps.  
7. Alia autem (semina) ceciderunt in terram  
bonam. Matth. 13. Princeps Regum terra, qui